


1024

# Bulla San

ctissimi Domini Nostri Dñi IULII. II.  
Pontificis Max. super electione pō-  
tificis futura, publicata solemniter  
Rome, et Bononie, et descripta  
in Quinterno Can-  
cellarie.







**I**lius Episcopus seruus seruorum dei,  
Ad perpetuam rei memoriam. Cum tam  
diuino quam humano iure in spirituali-  
bus precipue detestabiliter Simonie sit la-  
bes prohibita & longe magis in electio-  
ne Romani Pontificis Vicarij Iesu Chri-  
sti domini nostri abhominabilis sit, et uniuersali Ecclesie pernicio-  
sa. Nos qui regimini eiusdem uniuersalis Ecclesie, meritis licet  
imparibus, auctore domino presidemus; Cupientes quantum  
cum deo possumus in premissis pro tante rei necessitate, ac peri-  
culi magnitudine, ut tenemur in posterum salubriter providere  
de fratrum nostrorum sancte Romane Ecclesie Cardinalium  
consilio, & unanimiti consensu; Hac nostra perpetuo ualitura  
constitutions, Apostolica auctoritate, & de potestatis nostre  
plenitudine statuimus, ordinamus, decernimus, & diffinimus  
quod si (quod deus pro sua elementia, & in omnes bonitate auer-  
tat) contigerit, postquam nos uel successores nostros successiue, ipse  
deus ab huiusmodi uniuersalis ecclesie regimine absoluerit, hu-  
mani generis inimico procurante, & ambitione uel cupiditate  
ad hoc inclinante seu impellente, electionem Romani Pontificis  
ab eo quem eligi contigerit, uel ab aliquo seu aliquibus de cetero  
Cardinalium quomodolibet uotum dantibus per Simoniacam he-  
resim in dando promittendo uel recipiendo pecunias, bona cuiusque  
generis, castra, officia, uel beneficia, seu promissiones & obli-  
gationes commissam, per se uel alium seu alios quomodocumque  
& qualitercumque, etiam in duarum partium, uel omnium Car-

dinalium unanimi concordia quomodolibet, etiam per uiam assumptionis unanimiter nemine discrepante, etiam sine scrutinio facte, celebrari uel fieri non solum huiusmodi electio uel assumptio eo ipso nulla existat et nullam eidem sic electo uel assumpto administrandi in spiritualibus, & temporalibus facultatem tribuat, sed etiam contradictum sic electum uel assumptum de Simoniaca labe à quocumque Cardinali, qui eidem electioni interfuerit opponi & excipi possit, sicut de uera & indubitata Heresi, ita quod a nullo pro Romano Pontifice habeatur. Quinimmo ipse sic electus à priori suo Cardinalatus, & alio quocumque honore Ecclesiarum Cathedralibus: etiam Metropolitanis & Patriarchalibus: monasteriis dignitatibus: & alijs quibuscumque beneficijs & pensionibus que tunc obtinebat in titulum uel in commendam aut alias quomodocumque eo ipso absque alia declaratione priuatus existat: & idem electus non apostolicus: sed Apostaticus & tanquam Simon magus: & Heresiarcha & ad predicta omnia & singula perpetuo innabilis habeatur & sit, Nec huiusmodi simoniaca electio per subsequentem ipsius inthronizationem seu temporis cursum: aut etiam omnium Cardinalium adorationem seu obedientiam ullo unquam tempore conualescat; Liceatque omnibus & singulis Cardinalibus: etiam illis: qui huic Simoniace electioni seu assumptioni consenserint: etiam post inthronizationem & adorationem seu obedientiam, ac etiam uniuerso Clero: Populo Romano: nec non subditis: & sancti Angeli de urbe: ac quarumuis aliarum Romanorum Ecclesie Artium prefectis, Castellanis, Capita-

neis & aliis Officialibus : quocunq; homagio seu iuramento  
uel cautione prestitis non obstantibus : à talis electi. etiam intro-  
nizati, obedientia & deuotione impune & quandocunq; di-  
scedere (ipsis fidei Romane Ecclesie & obedientie futuri Ro-  
mani Pontificis canonice intrantis nihilominus astrictis perma-  
nentibus) & eum ut Magum: Ethnicum, Publicanum & He-  
resiarcham euitare. Ad cuius quoq; confusionem possint Car-  
dinales: qui prefate electioni se opponere uoluerint: si presump-  
serit se regimini uniuersalis Eccl. sie pretextu talis electionis  
ingerere: auxilium brachij secularis contra eum implorare;  
Nectales ab eius obedientia discedentes: tanquam Tunice do-  
mini scissores: aliquarum propter dictum discessum penarum  
seu censurarum ulcioni sub iaceant; Cardinales uero: qui eum  
sic simoniace elegerint à suis ordinibus, & etiam cardinalatus  
titulis & honore: ac quibuscunq; Patriarchalibus: Archiepi-  
scopalibus: Episcopalibus & alyis Prelaturis ac dignitatibus:  
& beneficiis que in titulum uel comendam tunc obtinebant, uel  
in quibus seu ad que ius tunc habebunt: absq; alia declaratione  
priuati existant: nisi ab illo penitus, & cum effectu discesse-  
rint, & reliquis Cardinalibus, qui huiusmodi simonie non con-  
senserint, infra terminum octo dierum post tēp fuerint ab eis re-  
quisiti personaliter si fieri poterit: alias per edictum publicum  
se absq; fictione uel fraude uniuerini & coniunxerint: tunc  
si prefatis alyis Cardinalibus se uniuerint & coniunxerint, in  
pristinum statum, & ad pristinos honores et dignitates: etiam  
Cardinalatus ac ecclesias & beneficia quibus preerunt & que

obtinebant reintegrati rehabilitati ac restituti & repositi ab  
huiusmodi simonie labe & censuris ac penis ecclesiasticis qui-  
buscunq; absoluti eo ipso existant. Mediatores uero Profone-  
te trapezite tam Clerici quàm laici cuiuscunq; dignitatis quali-  
tatis & ordinis fuerint, etiam Patriarchali Archiepiscopali  
siue Episcopali uel alia seculari mundana siue ecclesiastica di-  
gnitate predicti, etiã quorumcunq; Regum & Principum Orato-  
res uel Nuncij huius simoniace electionis participes sint omni-  
bus suis ecclesiis beneficijs prelaturis & feudis ac alijs quibuscun-  
que honoribus & bonis eo ipso privati, et ad similia inhabiles  
ac etiam actiue & passiue intestabiles, & eorum bona ipso  
facto ad instar reorum criminum lese maiestatis Fisco apostor-  
lice sedis applicentur deuoluanturq; si predicti delinquentes ec-  
clesiastici fuerint, uel alias Roman. Ecclesie subditi. Bona ue-  
ro & feuda taliter delinquentium non subditorum secularium  
in partibus existentia Fisco secularis Principis, in cuius territo-  
rio bona sita fuerint ipso facto similiter applicentur; Ita tamen  
q; si infra ires menses à die quo notum fuerit illos Simoniam com-  
mississe uel participasse Principes dicta bona Fisco suo actuali-  
ter non applicauerint, ex tunc illa Fisco ecclesie Romane appli-  
cata censeantur & sint eo ipso absq; aliqua similiter declaratio-  
ne. Promissiones quoq; & obligationes siue Sponsiones pro-  
pterea quandocunq; etiam ante tempus dicte electionis, etiam  
extra personas Cardinalium per quoscunq; alios quomodocunq;  
facte cum quauis in excogitabili solemnitate & forma, etiam iu-  
rate conditionales siue euentuales, & in forma ex commissarum

ex quacumq; causa etiam depositi mutui cambij confessionis de re  
ceptis donationis arrendamenti uel uenditionis permutationis  
uel alterius cuiuscumq; contractus, etiam in ampliori forma Ca-  
mere Apostolice facte, sint nulle et inualide et ad agendum  
inefficaces, nullusq; illarum uigore cogi uel constringi possit in iu-  
dicio uel extra, liceatq; omnibus ab illis impune absq; aliquo me-  
tu siue periurij nota recedere. Et insuper liceat Cardinalibus  
qui electioni predictae simoniace interfuerint, et a prefato sic  
electo discesserint, adhibitis secum aliis Cardinalibus etiam il-  
lis qui huiusmodi simoniace electioni consenserunt et postea  
eisdem Cardinalibus in dicta simonia non complicibus se uni-  
uerint, si se cum eisdem unite uoluerint; Alioquin sine eis ad al-  
terius nihilominus Pontificis electionem, non expectata alia  
sententia declaratoria simoniace electionis huiusmodi: eadem ta-  
men presente nostra constitutione semper in suo robore perma-  
nente: libere alias tamen canonice diuenire, et Concilium eti-  
am generale indicere et conuocare in loco idoneo, prout eis uide-  
bitur expedire. Non obstant. constitutionibus et ordina-  
tionibus apostolicis, et precipue fe. re. Alexandri papae. III.  
quae incipit, Licet de uitanda discordia, et aliorum Roman.  
pontificum praedecessorum nostrorum, etiam in Concilijs genera-  
libus editis, caeterisq; contrarijs quibuscumq;. Inhiben. postremo  
omnibus et singulis sancte Roman. Ecclesie Cardinalibus qui  
pro tempore erunt et eorum sacro Collegio, ne a Apostolica  
sede vacante predictis contrauenire uel contra premissa uel ali-  
quo premissorum statuere disponere ordinare uel aliquo modo

facere seu attentare presumant quocumq; exquisito colore uel cau-  
sa sub excommunicationis late sententie pena, quam ipso facto in-  
currant & à qua non nisi per Rom. Pontificem canonicè ele-  
ctum absolui possint, nisi in mortis articulo. Decernen. ex  
tunc irritum & inane si secus super his uel aliquo premissis  
rum à quoq; scienter uel ignoranter, etiam per nos contigerit at-  
temptari. Vt autem presentis constitutionis decreti statuti or-  
dinationis ac inhibitionis nostre huiusmodi tenor ad omnium no-  
titiā deducatur, uolumus presentes litteras nostras in ualuis  
Basilicæ principis Apostolorum: nec non Cancellarie ac in acie  
campi flore affigi, nec aliam earundem litterarum publicationis  
solemnitatem requiri aut expectari debere, sed huiusmodi affi-  
xionem pro solemnī publicatione & perpetuo robore suffice-  
re. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostro-  
rum constitutionis ordinationis statuti decreti diffinitionis ap-  
plicationis appropriationis & inhibitionis infringere, uel ei  
ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presump-  
serit, indignationem omnipotentis dei ac beatorum Petri, &  
Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum. Datum Ro.  
apud sanctum Petrum Anno incarnationis dominicæ. M. D.  
XVIII. kal. Februarij Pontificatus nostri Anno tertio.

F. Argentin.

Sigismundus